

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4023

Auteur(s) : Philippe II Auguste, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Robert Ier, Alençon (comte)

Bénéficiaire(s) : Barthélémy de Roie [particulier]

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1205

Lieu d'émission : Le Vaudreuil

Action juridique : confirmation

Langue du texte : latin

Analyse

Philippe [II, roi de France,] notifie les conventions conclues entre Robert, comte d'Alençon, et Barthélémy de Roie sur le mariage entre Jean, fils du comte d'Alençon, et Alix, fille de Barthélémy de Roie.

Tableau de la tradition

Éditions principales

- a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 122, p. 22 et p. 288-289.

Dissertation critique

1205 [mai] : datation proposée par DELABORDE/BRUNEL et al., Recueil des actes de Philippe Auguste, t. 2, p. 494, n. 1.

Texte établi d'après a

In nomine, etc. Ph., etc. Notum, etc., quod hec sunt conventiones inter Robertum comitem Alençonii et Bartholomeum de Roia, super matrimonio Johannis, filii predicti comitis, et Aaliz, filie dicti Bartholomei. Predictus siquidem comes Alenconis Johannem, filium suum, tanquam filium et heredem suum saisivit de omni terra sua, et nos eum inde recepimus in hominem, ad petitionem ejusdem comitis, ita tamen quod comes illam habeat toto tempore vite sue. Si autem filium suum Johannem consentire non poterit, vel idem Johannes cum ipso comite manere noluerit, ipse comes dat ei Almeneschas cum pertinentiis et Bernaum cum pertinentiis, et si Almeneschae et Bernaum cum pertinentiis non valerent per annum IXc libras turonensium, illas ei perficiet in terra assisa. Concessit etiam predictus comes quod dictus Johannes dedit predicte Aeliz in dotalicium quingentas libras terre assisas in Bernaio, et si Bernaum ad hoc non sufficeret, illud quod deesset de valore quingentarum librarum perficiet in Almeneschis, et post decessum predicti comitis habebit dicta Aaliz in dotalicium terciam (sic) tocius terre ipsius comitis in feodis et dominiis et omnibus aliis, ad usus et consuetudines Normannie, salvo dotalicio comitisse uxoris predicti comitis ; sed ista, scilicet Almeneschae et Bernaum, computabuntur in valore tercie partis. Si autem contigerit predictam Aeliz mori infra annum et diem postquam idem Johannes eam carnaliter cognoverit vel habebit etatem cognoscendi, dictus Bartholomeus totam terram predictam tenebit usque dum duo milia libras parisiensium rehabuerit. Hoc siquidem dictus comes bona fide tenendum in manu nostra et in manu dicti B. de

Roia affidavit. Radulfus autem vicecomes Sancte Susanne et Guillelmus de Pratellis et Robertus filius Erneis et Garinus de Nuelli et Fulqueus de Cormeran et Robertus de Mesnilio et Matheus Viarius et plures alii idem tenendum bona fide affidaverunt ex parte Roberti dicti comitis. Dictus autem Bartholomeus de Roia dat eidem Johanne cum filia sua Aeliz in maritagium duo milia libras parisienium. Post decessum vero suum dat eidem Johanni cum filia sua in maritagium medietatem tocius terre sue de Francia et de Normannia et totam terram suam de Viromandesio, salvo in omnibus dotalicio Petronille, uxoris sue, et salvo eo quod, si contingeret eum habere heredem masculum, filia ejus, dicta Aeliz, tantum habebit terciam partem tocius terre sue, ubicumque eam habebit. Idem autem Bartholomeus, et Robertus de Cortenaio, et Ursio camerarius noster, et Johannes de Rovraio, et Cadulcus, castellanus Gallionis, ex parte ejusdem Bartholomei, istud tenendum bona fide affidaverunt. Quod ut perpetue stabilitatis robur obtineat, nos, ad petitionem utriusque partis, sigilli nostri auctoritate et regii nominis caractere inferius annotato presentem paginam confirmamus. Actum apud Vallem Rodolii anno Domini M^o CC^o quinto, regni nostri anno XXVI^o, astantibus, etc. : dapifero nullo ; signum Guidonis buticularii ; signum Mathei camerarii ; signum Droconis constabularii. Data, vacante cancellaria, per manum fratris Garini.